



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Quid sit vetus & nouus homo. tit. 146

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

re, ignorantia, tribulationes à Sathana excitata, fle-  
 us, fridor dentiū, &c. Sed in futuro erit multò gra-  
 uior infernus & pœna, desperatio, impatientia, &cæ:  
 Sic pleriq; hîc in odio, inuidia, luxuria, auaritia, &  
 gula, &c. quos sequerur dānatio. Viuentes malè, di-  
 cantur esse in inferno, vtcunq; hîc latentur. E diuer-  
 so pij habentes gaudium Spiritus sancti in mente, de  
 futura beatitudine, quam oculus non vidit, nec auris  
 audiuit, 1. Cor. 2. Esai. 64. &cæt. sunt in cœlo, etiam si  
 hîc sunt incarcerati, infirmi in corpore, &c. Sic dice-  
 bat Apostolus: Nostra cōuersatio est in cœlis. Habēt  
 ergo mali hîc inchoatum infernum, Boni verò in inchoatum cœlum. Philip. 3.

QVID SIT VETUS ET  
 nouus homo.

## TITVLVS CXLVI.

**H**OMO vetus, carnalis, naturalis, exte-  
 rior homo, aut homo peccati, corpus  
 peccati, omnia hęc idem significant. Et  
 est homo vetus, homo, qui nondum ha-  
 bet spiritum sanctū, nec est baptizatus,  
 aut iustificatus, & perfusus spiritus sancto, & ille non  
 percipit ea, quę sunt spiritus Dei, id est, spiritus sancti.  
 Stultitia est illi, & non potest intelligere, quę spiri-  
 tualia sunt, 1. Corinth. 2. Illius fructus opera sunt in-  
 terna concupiscentia, superbia, inuidia, mala volun-  
 tas: Externa opera & fructus, peccata manifesta con-  
 tra legem Dei, Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis,  
 fornicatio, immunditia, &cæt. Romanor 8. Qui in  
 carne sunt, placere Deo non possunt, quia nō nisi car-  
 nalia sapiunt Ioann. 3. quod natum est ex carne, caro  
 est. Gal. 6. Qui seminauit carnalia, id est, carnalia fe-  
 cit opera, metet corruptionē, id est, damnationē, &c.  
 Hunc veterem hominem docet ybique Apostolus,  
 Z z 5 vt mor-

vt mortificemus, Ephe. 4. Coloss. 3. 2. Cor. 4. id est, vt non sequamur illius voluntatem &c. si illi obedimus, moriemur. Rom 8 Si secundum carnem vivitis, moriemini, Gala. 3. Tales regnum Dei non possidebunt, &c. 1. Cor. 9. dicit Apostolus: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne, cum alijs praececauerim, ipse reprobus efficiar, &c. At tunc reprobum hominem mortificamus, quando carnis superbiam, luxuriam, auaritiam, iram, inuidiam, coarctamus, quando non desideria carnis perficimus, Romanot. sexto, quando luxuriam per castitatem, iram per benignitatem, auaritiã elemosynarum largitate, &c. coarctamus.

Tertiò, homo nouus, noua creatura, homo spiritalis, homo internus, filius Dei, quæ omnia idem significant. Est autem homo nouus, homo qui baptizatus, & in baptismo spiritu sancto perfusus est, atque ab illo sanctificatus, in quo alios motus & nouos operatur, id est, dilectionem, patientiam, gaudium, castitatem, Gal. quinto. Fructus spiritus sunt, caritas, gaudium, pax, castitas, benignitas, fides, &c. Illas virtutes & motus non habet homo à natura, sed idèo datur & infunditur spiritus sanctus in baptismo, vt hos motus operetur in nobis atque fructus, quatenus his expellamus carnales & contrarios motus, id est, superbiam, luxuriam, &c.

Ideo spiritus sanctus regenerat & innouat nos, ad Ti 3. in lauacro baptismi, vbi regeneramur & accipimus spiritum sanctum, vt sit innouator, id est, qui ex veteri homine nouum faciat, nouos motus creat in corde hominis baptizati, &c.

*IUSTITIA FIDEI ET IUSTITIA  
operum, an sit vna iustitia.*

TITVLVS CXLVII.

Notia.